



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio VII. Argumentum. Dantur definitiones, & divisiones Superstitionis, Idololatriæ, ac Magiæ. Referuntur superstitiones Muliercularum, & Alchimistarum. Deinde remedia pro eliminandis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulenter. Jer. 48. 10. Recogitent, idem esse non recitare, ac sine attentione recitare, & cum negligentia, nam in utroque casu est culpa gravis, & obligatio restituendi fructus. *Navar. de Orat. cap. 20. num. 32.* 11. Legant Toletum in summa lib. 2. cap. 13. & ibi additiones. Et Novissimè opus Illust. Episc. Pompei Sarnelli inscriptum *Specchio del Clero Secolare* impressum Neapoli anno 1678. ubi tom. 1. agit de Divino Officio a pag. 191. & seqq. Item Meditationes Busefi tom. 2. de Dignitate, & Virtutib. Sacerdotum Medit. 14. 12. In fine cujusque Psalmi ad Vers. Gloria Patri &c. elevent mentem in Deum.

DECISIO SEPTIMA.

ARGUMENTUM.

Dantur definitiones, & divisiones Superstitionis, Idololatriæ, ac Magiæ. Referuntur superstitiones Muliercularum, & Alchimistarum. Deinde remedia pro eliminandis superstitionibus.

SUMMARIUM.

1. Superstitio quid sit? & Quotuplex?
2. Idololatria quid, & quotuplex sit?
3. Magia quid sit? & Quotuplex?
4. Muliercularum superstitiones quadam. Et an sint peccata?
5. Alchimia ars an sit licita?
6. Superstitiones quibus remediis eliminanda?

Ad infra scripta Quæstia, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dicere.

AD PRIMUM. Quid, & Quotuplex sit Superstitio?

Alii, esse falsam, seu vanam Religionem ex Tolet. lib. 4. cap. 14. Alii, esse offensam factam Deo per cultum falsum, seu indebitum. Ex Tamb. lib. 2. in Dec. cap. 6. §. 1. num. 1. & 2. Eruditionum studiosi addidere, ex Cic. lib. 2. de nativ. Deor. esse sollicitudinem nimiam, qua hominesangebantur immolantes, precantesque, ut filios superstites relinquerent. Vel ex Lactant. lib. 4. div. Inst. cap. 28. Sic dictum ex eo, quod homines relictis veteribus Diis colerent superstitem memoriam suorum majorum. Vel ex Servio in 8. Æneid. Superstitionem appellatam nimium timorem iræ Deorum superstantis. Omnes autem concordarunt, duplicem esse superstitionem. Unam cultus falsi, puta colere Deum per cæremonias Judaicas, vel Mahumetanas, vel per cantica Turpia, quæ semper est mortalis. Tamburin. d. §. 1. num. 2. & 3. Salesles de S. Inquisit. lib. 1. cap. 14. reg. 11. Alteram cultus indebiti, quæ ex se est Venialis; at mortalis in tribus casibus. 1. Si sit mixtum pactum cum Dæmone. 2. Si gravis aliqua irreverentia fiat. 3. Vel magnus contemptus Rubricarum. Tamb. d. §. 1. num. 2. Et in opusc. de sacrif. Missæ, lib. 2. cap. 5. §. 1. Mea Erotemata cap. 19. ubi plura de ea.

Ad Secundum. Quid, & quotuplex sit Idololatria?

Alii, esse Divini cultus erga falsum Deum exhibitionem, ex Tolet. lib. 4. cap. 14. num. 2. Alii, esse actum adorationis, quo quis aliquid creatum colit, loco Dei. Ex Salesles d. lib. 1. cap. 14. Reg. 112. num. 21. & 22. & dici Idololatriam, quasi Idolorum latrariam. Duplicem autem asseruerunt esse. Unam propriè sumptam, cum quis adorat idola, vel creaturas. Alteram improprie, cum quis animo sic adhæret alicui vitio, ut videatur illud adorare. Salesles d. reg. 112. num. 21. Unde Apost.

Dact. Clericali Tom. II. Lib. IX.

stolus de avaritia ait, Quod est Idolorum servitus. Ephes. 5. & de Gulosis. Quorum Deus venter est. Philip. 3. plura de hoc peccato in meis Erotemat. cap. 20.

Ad Tertium. Quid, & quotuplex sit Magia? esse Artem, seu facultatem, vi creata, & non supernaturali, quædam mira, & insolita efficientem, quorum ratio sensum, & communem hominum captum superat. Salesles lib. 1. reg. 119. Delirius disquisit. Magic. lib. 1. cap. 2. ubi singula Verba definitionis explicat. Triplicem autem dixerunt Magiam, scilicet Naturalem, Artificiosam, & Diabolicam. Prima, & Secunda est licita, quia innititur Secretis Philosophiæ, seu virtutibus naturalibus herbarum, vel lapidum. Tertia est prohibita, quia ei inest pactum, vel expressum, vel tacitum cum Dæmone, ut exemplis latè demonstrat Delirius. d. lib. 1. cap. 2. 3. & 4. Et mea Erotemata cap. 21. ubi plura & utilia, & jucunda, scituque digna traduntur.

AD PRIMUM CASUM;

Quæritur, an peccent mulieres, quæ in die Sabbati nere recusant. In nocte S. Joannis Baptista herbas colligunt. Signant ad morbos fugandos cum prolatione aut verborum Sacrorum, aut inutilium. Et an Viri, qui nolunt inter tredecim convitatos ad mensam sedere? Plurimi docti, & eruditè responderunt ad singulas casus partes, concorditer sentientes, omnes mortaliter peccare, superstitionis, & vanæ observantiæ vitio. Ex Tamb. in Decal. lib. 2. cap. 6. §. 1. n. 27. 28. & seqq. Ex Joan. Tullio Embl. 26. & Marchant. lib. 3. lect. 2. Propos. 1. Sed prædictos omnes excusari invincibili ignorantia ex Azor. part. 1. lib. 2. cap. 26. q. ult. Vide prædicta mea Erotemata d. cap. 19. ubi plures alii casus superstitionis.

AD SECUNDUM CASUM.

Utrum Alchimia sit ars fundens metalla, ad ea in aurum transformanda. Quæritur, an dicta Ars sit licita? Ex longis, doctisque responsionibus, quibus DD. Parochorum & studium, & doctrina, & eruditio summopere fuit commendata, colligitur, quod vel quærimus in foro fori? Et in hoc de Jure civili Alchimia non reperitur prohibita; sed vetita est de Jure Canonico per Joan. 22. in Extravag. Spondent. De crimin. falsi inter commun. Vel quærimus in foro Poli? & in hoc Alchimia est licita, servatis quatuor conditionibus, scilicet Finis, Modi, Temporis, & Personæ. Conditiō Finis, ut Alchimia exerceatur non ob lucrum, vel avaritiam, sed honestam animi recreationem. Modi, ut absit omne pactum vel auxilium, tacitum, aut expressum cum diabolo. Temporis, ut nimium non infumatur, sed quantum licet honesto otio dare. Personæ, ut hæc non sit egena, sed locuples, ut disertè probat Delirius d. 1. cap. 5. q. 4. Thesaur. de Penit. Ecclesiast. p. 2. Verb. Falsum, c. 2. & demonstrant mea Erotemata c. 22. ubi alii Doctores.

AD CASUM PRUDENTIALEM

Quæ sint remedia, & rationes à Parochis adhibenda, pro eliminandis superstitionibus, & vanis observantiis, quas Plebs exercet, & potissimum in Villis? Notarunt Sequentia. 1. Quod Parochi doceant, eandem auctorem esse diabolum Ex Delrio lib. 6. in Anaceph. monit. 4. 2. Referant exempla fraudum Dæmonum circa exercentes superstitiones; de quibus Delirius lib. 2. quæst. 12. 16. & 30. Et Hieronymus Menghi in compendio Artis Exorcist. 3. Quod superstitionis operationes, licet videantur prodesse corpori, semper obsunt animæ, quæ

B

majo-

majoris valoris est, ut ex *Delrio lib. 6. & Marchant. lib. 3. tract. 3. lect. 2.* 4. Quod suadeant Parochi populum ad devotionem Sanctorum, quorum precibus, & meritis sentiant se juvari. 5. Moneant, supernaturales operationes, quæ non sunt à Deo, procedere saltem ex tacito pacto cum Dæmone; & sic cum maxima injuria Creatoris. 6. Ostendant, Sanctos Viros abhorruisse semper vanas observantias, & superstitiones. 7. Eas ab Ecclesia semper fuisse damnatas, & pluribus in Diocessibus, inter casus reservatos comprehensas. 8. Negandam absolutionem Sacramentalem illis, qui antea moniti non emendantur. 9. Injungantur iisdem Poenitentia salutares, sed graves. 10. In concionibus, & sermonibus spiritualibus prædicent Parochi in detestationem superstitionum, & vanarum observantiarum, ut ab eis deterreant, & revocent plebes suas. 11. Moneantur Populi, ne statim remediis muliercularum credant, sed prius de eis Parochum consulant, ex *Trullenb. lib. 1. in Decal. c. x. dub. 11. num. 17.*

DECISIO OCTAVA.

A R G U M E N T U M.

Exponitur quid, & quotuplex sit maleficium? Quæ circumstantiæ sint perquirendæ à Confessario circa hoc peccatum? Quæ censuræ latae sint contra maleficos? Remedia præservandi filios à maleficiis.

S U M M A R I U M.

1. Maleficium quid, & quotuplex?
2. Maleficium amatorium quor modis fiat?
3. Maleficii Venefici species octo. Et quæ?
4. Maleficii circumstantia in Confessione exprimentur.
5. Malefici quibus penis, & censuris de jure afficiantur?
6. Remedia duodecim præservativa contra maleficia.

Ad infra scripta Quæsitæ, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

AD PRIMUM. Quid sit Maleficium? Alii, esse Magiæ speciem, qua quis ope Dæmonis alteri damnum parat. Ex *Delrio disquis. Mag. lib. 3. quæst. 1.* Alii, esse vim, & potestatem aliis nocendi ex pacto expresse, vel tacito cum Dæmone, ex *Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 2. numer. 1.* Alii, esse artem nocendi aliis, Dæmonis potestate, ex *Tolet. lib. 4. c. 16.*

Ad Secundum. Quotuplex sit Maleficium? Plures plura ex *Delrio* adduxere; sed præcisè respondentēs convenerunt, esse Duplex Amatorium, & Veneficum. Primum fieri ad captandas delectationes carnales. Alterum ad damnificandum Proximum. *Delrio lib. 3. quæst. 1. & Tolet. d. lib. 4. cap. 16. num. 2.* Amatorium patrarī duobus modis, vel in corpore per cibum, & potum maleficiis compositum: vel extra corpus per unctiones membrorum, vel appositionem rerum maleficarum in cubiculis, in lectis, in vestibus. *Delrio lib. 3. quæst. 1. Sallés de S. Inquis. lib. 1. cap. 14. reg. 122. num. 280.* ubi advertit, esse de fide, quod nullis philtis amatoriis ope Dæmonis potest voluntas hominis cogi ad peccatum. Veneficum, seu hostile fieri octo modis, & sic fortiri octo species subalternas. 1. Dicitur Somnificum, quo domestici tanto somno opprimuntur, ut malefici commodè possint vel furari, vel filiolos opprimere. *Delrio d. lib. 3. quæst. 2.* 2. Dicitur Fascinatio, quædam mentis offuscatio, & est triplex poetica,

Philosophica, & Magica. *S. Th. 1. part. quæst. 117.* & præcipuè fit reciproco oculorum intuitu. *Delrio d. lib. 3. cap. 4. sect. 1. Sallés d. reg. 122. num. 296.* 3. Dicitur Veneficum, quo damnificantur homines à Sagis, & strigis, vel per contactum, vel per tempestates, vel per sufflationes, juxta exempla relata per *Delrio ubi supra quæst. 2.* 4. Dicitur Maleficium devovendi, per quod Dæmones ingrediuntur corpora hominum ad eos vexandos, & de modo agit. *Delrio d. cap. 4. sect. 7. & latius P. Gaspar Schottus Soc. Jesu in sua Physica Curiosa lib. 4. de mirabilib. energum. per totum.* 5. Dicitur Maleficium ligaminis, quo sponsi fiunt inhabiles ad matrimonii consummationem, juxta rit. *Decretal. de Frigidis. & maleficiatis, & patrat variis modis, de quibus Delrio d. lib. 4. cap. 4. sect. 8. & Sallés d. lib. 1. cap. 14. reg. 122. num. 298.* 6. Dicitur Maleficium odii, cum malefica faciunt suis præstigiis, ut conjuges se odio habeant. 7. Dicitur Maleficium oblivionis, quo conjux retrahitur à memoria suæ uxoris, & adducitur ad adulteram. *Delrio ubi supra sect. 9.* 8. Dicitur Maleficium incendiarium, quo malefici igne consumunt domos, fruges, ac humana corpora, ut latè demonstrat. *Delrio ibidem sect. 10. Sallés d. reg. 122. eruditè Schottus in d. sua Physica Curiosa lib. 1. p. 2. cap. 21 & seqq. & plenius mea Erotemata cap. 25. ubi DD.*

AD PRIMUM CASUM.

Quidam Penitens se accusat in confessione de patratō maleficio. Queritur, quas circumstantias debeat confessarius ab eo perquirere? Alii dicere tantum tres circumstantias. 1. Si fecerit pactum cum Dæmone, & habuerit commercium cum illo. 2. Si contra fidem peccaverit, illum adorando, vel Deum negando. 3. Quale damnum intulerit proximo, cui restitutio erit facienda? Ita ex *Tambur. de expedit. confess. lib. 2. cap. 2. §. 5. & in Decal. lib. 2. cap. 6. §. 1. num. 10.* Alii exactius scribendo notant septem circumstantias. 1. An inciderit in hæresim? 2. An pactum fecerit cum diabolo? 3. An illum adoraverit? 4. An res sacras adhibuerit? 5. An Deum negando à fide apostataverit? 6. An bona vel corpora offenderit? 7. An habeat libros, vel instrumenta ad maleficia, quæ S. Inquisitionis officio sint deferenda? Ita ex *Bonac. tom. 2. disputat. 3. quæst. 6. part. 5. & ex Marchantio lib. 3. tract. 3. lect. 2.* Ex *Sallés d. lib. 1. cap. 14. reg. 122. num. 260. & seqq.*

AD SECUNDUM CASUM.

Queritur: an committentes maleficia sint aliqua censura ligati, & an possint à quolibet confessario absolvi? Præmisserunt: In foro exteriori contra maleficos infligendam esse penam mortis. *l. 3. Cod. de malefic. aut alias corporales juxta qualitatem maleficiorum.* *Farinac. de Delict. & pen. quæst. 20. num. 89.* Laurentius Prior in *Praxi Crimin. Veneta Verb. Sortilegio pag. 124.* In foro autem interiori, si malefici inciderint in hæresim, ligatos esse excommunicatione Papæ reservata per Bullam Cuncta Domini. Quod si hæresim non contraxerint, possunt à quolibet confessario absolvi, quia nulla censura, saltem reservata, sunt affecti. *DD. apud Tambur. lib. 2. in Decal. c. 6. §. 2. num. 14. & 15. & Thesaur. de penis Eccles. part. 2. Verb. Superstitio cap. 1.* Excipiendam tamen esse reservationem Episcopalem, in quibus Diocessibus reperitur, ut latius demonstrant mea Erotemata d. r. 25. n. 21. & seqq.

AD